

SCRIPTA

Numéro Scripta : 1290

Auteur(s) : Bayeux (official)

Bénéficiaire(s) : Bayeux (chapitre cathédral)

Genre d'acte : charte

Authenticité : non suspect

Datation : 1271, 28 novembre

Lieu d'émission : Bayeux

Action juridique : autre

Langue du texte : latin

Analyse

Raoul dit Pellevé reconnaît devant l'official de Bayeux la vente qu'il a précédemment faite au chapitre, et se soumet à certaines obligations découlant de cette vente.

Tableau de la tradition

Éditions principales

a. Bourrienne Valentin (Abbé), *Antiquus cartularius ecclesiae Baiocensis (Livre noir)*, Rouen-Paris, Lestringant-Picard (Société de l'histoire de Normandie), 1902-1903, 2 vol., n° DXVI, t. 2, p. 262-263.

Texte établi d'après a

Universis præsentis litteras inspecturis, officialis Baiocensis, salutem in Domino. Noveritis quod, in jure coram nobis constitutus (sic), Radulphus dictus Pelleve, armiger, confessus est se vendidisse et penitus dimisisse capitulo Baiocensi omnes decimas, quas habebat idem armiger et habere poterat in parrochia Sancti Georgii juxta Alnetum, in territorio de Sauques, et alibi in dicta parrochia, necnon et omnes redditus et jura quos et quæ Garinus Fouquet debebat et facere tenebatur dicto armigero, una cum homagio dicti Garini : quæ omnia idem armiger dicto capitulo vendidit et penitus dimisit in perpetuum possidenda et habenda, salvo jure domini capitalis quod habet in prædictis, videlicet percipiendi quinque solidos Turonenses annui redditus, pro septies viginti et decem libris Turonensibus, de quibus idem capitulum, nomine partis dicti precii et arrarum, solvit dicto armigero, in peccunia numerata, triginta libras Turonenses, et residuum paratum est solvere dicto armigero, secundum quod conventum est inter eos. Pro quo precio idem armiger, juramento præstito corporali, promisit et se obligavit omnia prædicta et singula se assignaturum dicto capitulo et dimissurum, libere, et quiete, et pacifice possidenda dicto capitulo, sine reclamatione dicti armigeri et hæredum ipsius, et garantizaturum contra omnes, vel alibi excambiatorum in sua hæreditate propria, valore ad valorem. Insuper, in jure coram nobis constitutus, Guillermus Animæ erga dictum capitulum fidejussit pro dicto Radulpho, et manucepit quod idem Radulphus dictum contractum, prout est supradictum, dicto capitulo fideliter observabit et adimplebit ; alioquin, idem Guillermus, sine exceptione et fuga, de suo proprio dicto capitulo dictum precium refundere tenebitur : ad quod se obligavit idem Guillermus coram nobis. Et nos dictum armigerum, præsentem et consentientem, condempnamus ab observandum dicto capitulo dictum contractum et suum juramentum, et dictum Guillermum ab observandum dicto capitulo prædicta ad quæ se obligavit coram nobis. Actum, de consensu partium, anno Domini millesimo ducentesimo septuagesimo primo, die sabbati ante festum beati Andreae apostoli.